re: absurdissime tamen aut a filio quem
genuit. aut a spiritu sancto qui de illo pro
cedit missus diceretur. Iste ergo sit huius
voluminis modus: deinceps in ceteris
adiuuante domino illa hereticorum versu
tissima argumenta qualia sint. et quem
admodum redarguantur videbimus.

Incipit liber quintus augustini de trinitate.

Quomodo modeste debeat ho
mo de diuina substancia cogitare.
Capitulum primum.

Hinc iam exordiens ea di
cere, que dici ut cogitan
tur, vel ab homine a
liquo illo certe a no
bis non omnino possunt: quamvis et ipsa
nostra cogitatio, cum de deo trinitate co
gitamus, longe se illi de quo cogitat
imparem senciat, neque ut est eum capi
at. sed ut scriptum est et a tantis quantus
apostolus paulus hic erat per speculum
et in enigmate videatur: primum ab
ipso domino deo nostro, de quo semper cogi
tare debemus, et de quo digne cogita
re non possumus; cui laudando red
denda est omni tempore benedictio, et cui enun
ciando nulla competit diccio: et adiu
torium ad intelligenda atque explicanda
ea que intendo, veniam precor. sicubi
offendo. Memor enim sum non solum vo
luntatis: verum eciam infirmitatis mee.
Ab hiis etiam qui ista lecturi sunt peto
ut ignoscant. ubi magis me voluis
se quam potuisse dicere adverterint: quod
vel ipsi melius intelligunt. vel propter
mei eloquii difficultatem non intelli
gunt. sicut ego eis ignosco. ubi propter
suam tarditatem me intelligere non
possunt. Facilius autem nobis invicem ig
noscimus. si noverimus aut certe creden
do firmum tenuerimus ea que de natura
incommutabili et invisibili. summe
que vivente, ac sibi sufficiente dicuntur:
non ex consuetudine visibilium. atque
mutabilium. et mortalium vel egena
rum rerum esse metienda. Sed cum in hiis
eciam que nostris corporalibus adiacent sen
sibus. vel quod nos ipsi in interiore homine
sumus, sciencia comprehendendis elaboramus
nec sufficiamus: non tamen impudenter
in illa que supra sunt divina et ineffabili
a. pietas fidelis ardescit. non quam
suarum virium inflat arrogancia. sed
quam gratia ipsius conditoris et salvato
ris inflammat. Nam quo intellectu homo
deum capit. qui ipsum intellectum suum
quo eum vult capere. nondum capit. Si
autem hunc iam capit. attendat diligenter
nichil eo esse in sua natura melius: et
videat utrum ibi videat ulla lini
amenta formarum. nitores colorum.
spaciosam granditatem. partium distanciam.
molis distinctionem. aliquos per locorum
intervalla motiones. vel quid eius
modi. Nichil certe istorum invenimus
in ~~meliore nostro~~ eo quo in natura nostra
nichil melius invenimus. id est in nostro in
tellectu. quo sapienciam capimus quantum
capaces sumus. Quod ergo non inve
nimus in meliore nostro. non debemus

in illo querere quod longe melius est meliore nostro: ut sic intelligamus deum si possumus quantum possumus sine qualitate bonum. sine quantitate magnum. sine indigentia creatorem. sine situ presidentem. sine habitu omnia continentem. sine loco ubique totum. sine tempore sempiternum: sine ulla sui mutatione mutabilia facientem. nichilque patientem. Quisquis deum ita cogitat. et si nondum potest omnino invenire quid sit: pie tamen cavet quantum potest aliquid de illo sentire quod non sit.

De incommutabili essentia quod solus deus est. cap. ii.

Est tamen sine dubitatione substantia. vel si melius hoc appellatur essentia: quam greci usian vocant. Sicut enim ab eo quod est sapere. dicta est sapientia. et ab eo quod scire scientia: ita ab eo quod est esse. dicta est essentia. Et quis magis est quam ille qui dixit famulo suo: ego sum qui sum. et dices filiis israel: qui est misit me ad vos. Sed alie que dicuntur essentie sive substantie capiunt accidentias. quibus in eis fiat vel magna vel quantacumque mutatio. deo autem aliquid eiusmodi accidere non potest. et ideo sola est incommutabilis substantia. vel essentia que deus est. cui profecto ipsum esse unde essentia nominata est. maxime ac verissime competit. Quod enim mutatur non servat ipsum esse. et quod mutari potest. etsi non mutetur. potest quod fuerat non esse: ac per hoc illud solum quod non tantum non mutatur. verum etiam mutari omnino non potest: sine scrupulo occurrit. quod verissime dicatur esse.

Contra presidia arriana preclusio ut substantialibus no. cap. iii.

Quamobrem ut iam etiam de his que nec dicuntur. nec cogitantur ut sunt respondere incipiamus fidei nostre adversariis inter multa que arriani adversus catholicam fidem solent disputare. hoc sibi maxime callidissimum machinamentum proponere videntur. cum dicunt: quicquid de deo dicitur vel intelligitur. non secundum accidens. sed secundum substantiam dicitur. Quapropter ingenitum esse patri. secundum substantiam est: et genitum esse filio. secundum substantiam est. Diversum est autem ingenitum esse. et genitum esse. Diversa est ergo substantia patris et filii. Quibus respondemus. Si quicquid de deo dicitur. secundum substantiam dicitur: ergo quod dictum est. ego et pater unum sumus. secundum substantiam dictum est. Una est ergo substantia patris et filii. Aut si hoc non secundum substantiam dictum est: dicitur ergo aliquid de deo non secundum substantiam: et ideo iam non cogimur secundum substantiam intelligere ingenitum et genitum. Item dictum est de filio: non rapinam arbitratus est esse equalis deo. Querimus secundum quid equalis. Si enim non secundum substantiam dicitur equalis: admittunt ut dicatur aliquid de deo non secundum substantiam. Admittant ergo: non secundum substantiam dici ingenitum et genitum. Quod si propterea non admittunt. quia omnia de deo secundum substantiam dici volunt: secundum substantiam filius equalis est patri.

De accidentibus sive separabilibus sive inseparabilibus que in deo quia immutabilis non est esse non possunt. Cap. iiii.

Accidens autem non dici solet nisi quod aliqua mutatione eius cui accidit amitti potest. Nam et si quedam dicantur accidentia inseparabilia, que appellantur grece achorista, sicuti est plume coruini color niger: amittit eum tamen, non quidem quamdiu pluma est, sed quia non semper est pluma. Quapropter ipsa materies mutabilis est: et ex eo quod desinit esse illud animal uel illa pluma: totumque illud corpus in terram mutatur et uertitur, amittit utique et illum colorem. Quamuis et accidens quod inseparabile dicitur, non separatione sed mutatione amittatur, sicuti est capillis hominum nigredo: quoniam dum capilli sunt possunt albescere, separabile accidens dicitur. Sed diligenter intuentibus satis apparet non separatione quasi emigrare aliquid a capite dum canescit, ut nigritudo inde candore succedente discedat et aliquo eat: sed illam qualitatem coloris ibi uerti atque mutari. Nichil itaque accidens in deo: quia nichil mutabile aut amissibile. Quod si et illud dici accidens placet, quod licet non amittatur, minuitur tamen uel augetur, sicuti est anime uita: nam et quamdiu anima est tamdiu uiuit: et quia semper anima est, semper uiuit. Sed quia magis uiuit cum sapit, minusque cum desipit, fit etiam aliqua mutatio, non ut desit uita, sicuti deest insipienti sapientia: sed ut minus sit: nec tale aliquid in deo est, quia omnino incommutabilis manet. Quamobrem nichil in eo secundum accidens dicitur, quia nichil ei accidit: nec tamen omne quod dicitur secundum substantiam dicitur. In rebus enim creatis atque mutabilibus quod non secundum substantiam dicitur, restat ut secundum accidens dicatur. Omnia enim accidunt eis, que uel amitti possunt uel minui, et magnitudines et qualitates, et quod dicitur ad aliquid, sicut amicitie, propinquitates, seruitutes, similitudines, equalitates, et si qua huiusmodi, et situs et habitus et loca et tempora et opera et passiones.

Que in deo ad aliquid dicuntur non secundum substantiam dici nec tamen esse accidentia, sed relatiua et incommutabilia. Capitulum .v.

In deo autem nichil quidem secundum accidens dicitur, quia nichil in eo mutabile est: nec tamen omne quod dicitur secundum substantiam dicitur. Dicitur enim ad aliquid, sicut pater ad filium et filius ad patrem: quod non est accidens: quia et ille semper pater, et ille semper filius. Et non ita semper quasi ex quo natus est filius, aut ex eo quod nunquam desinat esse filius, pater non esse desinat pater. Sed ex eo quod semper natus est filius, nec cepit unquam esse filius. Quod si aliquando esse cepisset, aut aliquando esse desineret filius: secundum accidens diceretur. Si uero quod dicitur pater ad seipsum diceretur non ad filium, et quod dicitur filius ad seipsum diceretur non ad patrem: secundum substantiam diceretur et ille pater et ille filius. Sed quia et pater non dicitur pater nisi ex eo quod est ei filius, et filius non dicitur nisi ex eo quod habet patrem, non secundum substantiam hec di-

cuntur. quia non quisque eorum ad seipsum sed ad invicem atque ad alterutrum ista dicuntur. Neque secundum accidens quia et quod dictus est pater et quod dictus est filius eternum atque incommutabile est eis. Quamobrem quamvis diversum sit patrem esse et filium esse: non est tamen diversa substantia: quia hec non secundum substantiam dicuntur sed secundum relativum. quod tamen relativum non est accidens quia non est mutabile. Si autem huic se putant resistendum esse sermoni. quia pater quidem ad filium dicitur et filius ad patrem: ingenitus tamen et genitus ad seipsos dicuntur. non ad alterutrum: non enim hoc est dicere ingenitum quod est patrem dicere. quia et si filium non genuisset nichil prohiberet eum dicere ingenitum. et si gignat quisque filium non ex eo ipse est ingenitus. quia geniti homines ex aliis hominibus gignunt et ipsi alios. Inquiunt ergo. Pater ad filium dicitur et filius ad patrem: ingenitus autem ad seipsum et genitus ad seipsum dicitur: et si quicquid ad seipsum dicitur secundum substantiam dicitur. diversum est autem ingenitum esse et genitum esse. diversa igitur substantia est.

An ingenitus quod pater dicitur possit nisi illa accipi quod ad seipsum et substantialiter dicitur. Capitulum vi.

Hoc si dicunt non intelligunt de ingenito quidem dicere quod diligentius pertractandum sit. quia nec ideo quisque pater quia ingenitus. nec ingenitus ideo quia pater. et propterea non ad aliquid sed ad se putatur dici ingenitus. Genitum vero mira cecitate non advertunt dici non posse nisi ad aliquid. Ideo quippe filius quia genitus: et quia filius utique genitus. Sicut autem filius ad patrem sic genitus ad genitorem refertur. et sicut pater ad filium ita genitor ad genitum. Ideoque alia notio est qua intelligitur genitor: alia qua ingenitus. Nam quamvis de patre deo utrumque dicatur: illud tamen ad genitum id est ad filium dicitur. quod nec illi negant. Hoc autem quod ingenitus dicitur: ad seipsum dici perhibent. Dicunt ergo. Si aliquid ad seipsum dicitur pater quod ad seipsum dici non potest filius. et quicquid ad seipsum dicitur secundum substantiam dicitur. et ad seipsum dicitur ingenitus quod dici non potest filius. ergo secundum substantiam dicitur ingenitus. quod filius quia dici non potest non est eiusdem substantie. Cui versutie respondetur ita ut ipsi cogantur dicere secundum quid sit equalis filius patri. utrum secundum id quod ad se dicitur an secundum id quod ad patrem dicitur. Non enim secundum id quod ad patrem dicitur. quoniam ad patrem filius dicitur. ille autem non filius sed pater est: quia non sic ad se dicuntur pater et filius quomodo amici et vicini. Relative quippe amicus dicitur ad amicum: et si equaliter se diligunt eadem in utroque amicitia est. Et relative vicinus dicitur ad vicinum. Et quia equaliter sibi vicini sunt quantum enim iste illi tantum et ille huic vicinatur eadem est in utroque vicinitas. Quia vero filius non ad filium relative dicitur sed ad patrem: non secundum hoc quod ad patrem dicitur equalis est filius patri: restat ut secundum id equalis sit quod ad se dicitur. Quicquid autem ad se dicitur: secundum substantiam dicitur.

Restat ergo ut secundum substantiam sit equalis. Eadem est ergo utriusque substantia. Cum vero ingenitus dicitur pater: non quid sit sed quid non sit dicitur. Cum autem relativum negatur non secundum substantiam negatur: quia ipsum relativum non secundum substantiam dicitur.

Capitulum vi. Quibuscumque locutionibus valeat negativa particula quia dicit non quid sit sed quid non sit hoc exemplis ostenditur. Capitulum vii.

Hoc planius intelligendum est. Ac primum videndum est hoc significari cum dicitur genitus quod significatur cum dicitur filius. Ideo enim filius quia genitus: et quia filius utique genitus. Quod ergo dicitur ingenitus: hoc ostenditur quod non sit filius. Sed genitus et ingenitus commode dicuntur. Filius autem latine dicitur. Sed infilius ut dicatur non admittit loquendi consuetudo. Nichil tamen intellectui demitur: si dicatur non filius. Quemadmodum etiam si dicatur non genitus pro eo quod dicitur ingenitus: nichil aliud dicitur. Sic enim et vicinus et amicus relative dicuntur. nec tamen potest invicinus dici quomodo dicitur inimicus. Quamobrem non est in rebus considerandum quid vel sinat vel non sinat dici usus sermonis nostri: sed quis rerum ipsarum intellectus eluceat. Non ergo iam dicamus ingenitum. quamvis latine dici possit: sed pro eo dicamus non genitum. quod tantum valet. Non ergo aliud dicimus: quam non filium. Negativa porro ista particula non id efficit: ut quod sine illa relative dicitur. eadem preposita substantialiter dicatur. Sed id tantum negatur. quod sine illa aiebatur. sicut in ceteris predicamentis: velut cum dicimus homo est. substantiam designamus. Qui ergo dicit non homo est: non aliud genus predicamenti enunciat. sed tantum illud negat. Sicut ergo secundum substantiam aio. homo est: sic secundum substantiam nego. cum dico non homo est. Et cum queritur quantus sit. et aio quadrupedalis est. id est quattuor pedum: qui dicit non quadrupedalis est. secundum quantitatem negat. Candidus est secundum qualitatem aio: non est candidus secundum qualitatem nego. Propinquus est secundum relativum aio: non est propinquus secundum relativum nego. Secundum situm aio cum dico iacet: secundum situm nego cum dico non iacet. Secundum habitum aio cum dico armatus est: secundum habitum nego cum dico non est armatus. Tantundem autem valet: si dicam inermis est. Secundum tempus aio cum dico hesternus est: secundum tempus nego cum dico non hesternus est. Et cum dico rome est secundum locum aio: et secundum locum nego cum dico rome non est. Secundum id quod est facere aio cum dico cedit: si autem dicam non cedit secundum id quod est facere nego. ut ostendam non hoc facere. Et cum dico vapulat secundum predicamentum aio quod pati vocatur: et secundum id nego cum dico non vapulat. Et omnino nullum predicamenti genus est secundum quod aliquid aiere volumus. nisi ut secundum idipsum predicamentum negare convincamur: si preponere negativam particulam voluerimus. Que cum ita sint. si substantialiter aierem dicendo filius: substantialiter negarem dicendo non

filius. Quia vero relative aio cum dico
filius est. ad patrem enim refero: relative
nego si dico non filius est. Ad patrem
enim eandem negationem refero: volens os-
tendere quod ei pater non sit. At si quan-
tum valet quod dicitur filius. tantundem valet quod
dicitur genitus: sicut prolocuti sumus. Tan-
tundem ergo valet quod dicitur non genitus. quantum valet
quod dicitur non filius. Relative ergo negamus
dicendo non filius: relative negamus
dicendo non genitus. Ingenitus porro
quid est. nisi non genitus? Non ergo receditur
a relativo predicamento: cum ingenitus dicitur.
Sicut enim genitus non ad seipsum dicitur.
sed quod ex genitore sit: ita cum dicitur ingeni-
tus non ad seipsum dicitur. sed quod ex geni-
tore non sit ostenditur. In eodem tamen predica-
mento quod relativum vocatur utraque sig-
nificatio vertitur. Quod autem relative pronun-
tiatur: non indicat substantiam. Itaque quamvis
diversum sit genitus et ingenitus. non in-
dicat diversam substantiam: quia sicut filius ad
patrem et non filius ad non patrem refer-
tur: ita genitus ad genitorem et non
genitus ad non genitorem referatur ne-
cesse est. Quomodo in trinitate deitatis
et indifferentiis unam esse substantiam c. viii.

Quapropter illud precipue
teneamus quicquid ad se dicitur
prestantissima illa et divina sublimi-
tas substantialiter dici. Quod autem ad aliquid:
non substantialiter: sed relative. Tantamque
vim esse eiusdem substantie in patre et filio et spiritu
sancto: ut quicquid de singulis ad se ipsos
dicitur non pluraliter in summa sed singu-
lariter accipiatur. Quemadmodum enim deus est
pater et filius deus est et spiritus sanctus deus est:
quod secundum substantiam dici nemo dubitat.
Non tamen tres deos sed unum deum dicimus
eandem ipsam prestantissimam trinitatem.
Ita magnus pater magnus filius. mag-
nus et spiritus sanctus: nec tamen tres magni
sed unus magnus. Non enim de patre solo
sicut illi perverse sentiunt: sed de patre et fi-
lio et spiritu sancto scriptum est. Tu es deus
solus magnus. Et bonus pater bonus
filius bonus spiritus sanctus. non tres boni sed
unus bonus: de quo dictum est. nemo bonus
nisi unus deus. Etenim dominus ihesus ne ab
illo qui dixerat. magister bone tamquam hominem
compellans secundum hominem tantummodo intelli-
geretur. ideo non ait. nemo bonus nisi solus
pater. sed nemo bonus nisi unus deus. In patris
enim nomine ipse per se pater pronuntiatur. In
dei vero et ipse et filius et spiritus sanctus: quia tri-
nitas unus deus. Situs vero et habitus
et loca et tempora non proprie sed translate
ac per similitudines dicuntur de deo. Nam et
sedere super cherubim dicitur. quod ad situm dicitur.
et abyssus sicut vestimentum amictus eius.
quod ad habitum. et anni tui non deficient.
quod ad tempus. et si ascendero in celum tu
ibi es. quod ad locum. Quod autem ad faci-
endum attinet: fortassis de solo deo
verissime dicitur. Solus enim deus facit et ipse
non fit: neque patitur quantum ad eius
substantiam pertinet. qua deus est. Itaque omnipotens
pater. omnipotens filius. omnipotens spiritus sanctus. nec tamen
tres omnipotentes. sed unus omnipotens: ex
quo omnia. per quem omnia. in quo omnia. ipsi

gloria in secula seculorum. Numquam ergo ad seipsum dicitur deus: et de singulis personis sic dicitur. De patre et filio et spiritu sancto et simul de ipsa trinitate non pluraliter sed singulariter dicitur. Quoniam quippe non aliud est deo esse et aliud magnum esse: sed hoc idem illi est esse quod magnum esse. Propterea sicut non dicimus tres essentias sic non dicimus tres magnitudines: sed unam essentiam et unam magnitudinem. Essentiam dico que usia (usia) grece dicitur: quam usitatius substantiam vocamus. Dicunt quidem et illi ypostasin (hypostasin). sed nescio quid volunt interesse inter usiam et ypostasin. ita ut plerique nostri qui hec greco tractant eloquio dicere consueverint mian usian tris ypostasin. quod est latine unam essentiam tres substantias. Sed quia nostra loquendi consuetudo iam obtinuit ut in hoc intelligatur cum dicimus essentiam quod intelligitur cum dicimus substantiam non audemus dicere unam essentiam tres substantias: sed unam essentiam vel substantiam.

[Margin: ουσια — υποστασιν — ουσιαν — υποστασιν — μιαν ουσιαν τρης υποστασιν]

Qua necessitate tres persone in trinitate dicantur. Capitulum IX.

Tres autem personas multi latini ista tractantes et digni auctoritate dixerunt. cum alium modum aptiorem non invenirent quo enuntiarent verbis quod sine verbis intelligebant. Revera enim cum pater non sit filius et filius non sit pater et spiritus sanctus ille qui et donum dei vocatur nec pater sit nec filius: tres utique sunt. Ideoque pluraliter dictum est. Ego et pater unum sumus. Non enim dixit unum est quod sabelliani dicunt: sed unum sumus. Tamen cum queritur quid tres. magna prorsus inopia humanum laborat eloquium. Dictum est tamen tres persone. non ut illud diceretur: sed ne taceretur.

De vera magnitudine dei cuius magnitudine magna sunt quecumque sunt magna. Capitulum X.

Sicut ergo non dicimus tres essentias: ita non dicimus tres magnitudines. nec tres magnos. In rebus enim que participatione magnitudinis magne sunt. quibus aliud est esse aliud magnas esse: sicut magna domus et magnus mons et magnus animus. In his ergo rebus aliud est magnitudo. aliud quod ab ea magnitudine magnum est: et prorsus non hoc est magnitudo quod est magna domus. Sed illa est vera magnitudo: qua non solum magna est domus que magna est. et qua magnus est mons quisquis magnus est: sed etiam quo magnum est quicquid aliud magnum dicitur. ut aliud sit ipsa magnitudo. aliud ea que ab illa magna dicuntur. Que magnitudo utique primitus magna est: multoque excellentius quam ea que participatione eius magna sunt. Deus autem quia non ea magnitudine magnus est que non est quod ipse. ut quasi particeps eius sit deus cum magnus est. Alioquin illa erit maior magnitudo quam deus: deo autem non est aliquid maius. Ea igitur magnitudine magnus est qua ipse est eadem magnitudo. Et sicut non dicimus tres essentias: sic nec tres magnitudines. Hoc enim est deo esse: quod est magnum esse. Eadem causa nec magnos tres dicimus. sed unum mag

nu. q2 no pticipatioe magtudis
ds magn9 e: s3 seipo magno mg
nus e. q2 ipe sua magtudo e. Hoc
et de boitate 7 de etnitate. 7 de oi
potetia dei dtm sit: oib3q3 oino
pdicametis q de deo pnt pnuna
ri. qd ad seipm d2. no tnslatiue ac
psilitudie. s3 pprie. si tn de illo
ppe ad dici ore homis pt. Rela
tiue no ֏ualit dici q'q pr fi9
et spus scs ppe noiat. Ca xi.

Quod at ppe singla i
eade tnitate dr. nllo mo
ad seipsa. sed ad iuice a' ad crea
tura dr: et ido reltie. no ֏ualit
ea dici mai festu e. Hic ei tintas
vn9 deus d2 magn9. bonus. etn.
omps. ideq3 ipe sua dici pt deitas.
ipe sua magtudo. ipe sua boitas.
ipse sua etnitas. ipe sua oipoten:
no sic dici pt tnitas sz. n forte
tnslatie ad creatura. ppt adoptioe
filio2. Nd ei scptu est. audi isrl:
dns ds tuus ds vn9 e. no utiq3
excepto filio. a' excepto spu sco
optet itelligi: que vnu dn3 deu
nrm rte dicim9. et pre nrm. p
gra3 sua nos regenerante. Trini
tas at filius nllo mo dici pt. Sps
vo scs sm id qd scptu e. qm de9
e pt q de vniusalit dici: qa pr
sps. 7 fili9 sps. et pr scs. et fili9
scs. Itaq3 pr et fili9 7 sps scs qm
vnus ds. et utiq3 ds scs e. et de9
sps e. pt appellai tnitas et sps

et scs: s3 tn n sps scs q no tnitas. s3
i tnitate itelligi. i eo q2 ppe dicit
sps scs relatie d2. cu et ad pre3 et
ad filiu refert. q2 sps scs et pris
et filij sps e. Sz ipa rlatio no ap
paret i hoc noie: apparz at cu d2
donu dei. Donu eni e pris 7 filij.
q2 et a pre pcedit 7 filio. sic dns
dicit. Et qd apls ait. q spm x no
ht. hic no e e9: de ipo utiq3 spu
sco ait. Donu ergo donatoris. et
donator doni cu dici9 reltie utr3
q3 ad iuice dicim9. Ergo sps scs in
effabil' queda pris 7 filij coio est.
Et ido fortasse sic appellat: q2 pri
et filio pt eade appellatio 9uenire.
Na hoc ipe ppe d2. qd illi coiter:
q2 et pr sps. et filius sps. et pr scs
7 fili9 scus. Vt g' ex noie qd vtriq3
9venit utriusq3 coio signficet: vocat
donu abo2 sps scs: Et hec tnitas
vn9 ds. solus. magn9. bonus. et
nus. ops: ipe sibi vnitas. deitas
magtudo. boitas. etnitas oipo
tetia. De relatis q refri ad iuice
nequeut cu tn relatiua sint
Caplm xij.

Nemo
at
ue d2 qd dixi9 relatie dici
spm scm. no ipsa tnitate. s3 eu
q e in tnitate: q2 no ei videt vicis
sim trade vobulu e9 ad que ifert.
No ei sic dici9 seruu dni. et dnm
serui. filiu pris et pre3 filij. qm
ista rltie dnr: ita et hic possum9
dice. Dici9 ei spm scm pris. sed

non vicissim dicimus patrem spiritus sancti, ne filius eius intelligatur spiritus sanctus. Item dicimus spiritum sanctum filii, sed non dicimus filium spiritus sancti, ne pater eius intelligatur spiritus sanctus. In multis enim relativis hoc contingit, ut non inveniatur vocabulum quo sibi vicissim respondeant, quae ad se referuntur. Quid enim tam manifeste relative dicitur quam pignus? Ad id quippe refertur cuius pignus est: et semper pignus alicuius rei pignus est. Numquid ergo cum dicimus pignus patris et filii possumus vicissim dicere patrem pignoris, aut filium pignoris? At vero cum dicimus donum patris et filii: non quidem possumus dicere patrem doni aut filium doni. Sed ut haec vicissim respondeant, dicimus donum donatoris et donatorem doni: quia hic potuit inveniri usitatum vocabulum, illic non potuit.

Trinitatem esse deum non tria principia sed unum principium, quia pater et filius et spiritus sanctus unus creator est sicut et unus deus. Cap. xiii.

Dicitur ergo relative pater, idemque relative dicitur principium, et si quid forte aliud: sed pater ad filium dicitur, principium vero ad omnia quae ab ipso sunt. Item dicitur relative filius, relative dicitur et verbum et imago: et in omnibus his vocabulis ad patrem refertur. Nihil autem horum pater dicitur. Et principium dicitur filius. Cum enim diceretur ei: tu quis es? respondit: principium qui et loquor vobis. Sed numquid patris principium? Creatorem se quippe ostendere voluit, cum se dixit esse principium: sicut et pater principium est creaturae, quod ab ipso sunt omnia. Nam et creator relative dicitur ad creaturam, sicut dominus ad servum. Et ideo cum dicimus et patrem principium et filium principium, non duo principia creaturae dicimus: quia pater et filius simul ad creaturam unum principium est, sicut unus creator, sicut unus deus. Si autem quidquid in se manet et gignit aliquid vel operatur principium est ei rei quam gignit vel ei quam operatur: non possumus etiam negare spiritum sanctum recte dici principium, quia non eum separamus ab appellatione creatoris. Et scriptum est de illo quod operetur, et utique in se manens operatur. Non enim in aliquid eorum quae operatur ipse mutatur et vertitur. Et quae operetur vide. Unicuique autem, inquit, datur manifestatio spiritus ad utilitatem. Alii quidem datur per spiritum sermo sapientiae: alii sermo scientiae secundum eundem spiritum. Alteri fides in eodem spiritu. Alii donatio curationum in uno spiritu. Alii operationes virtutum: alii prophetia, alii diiudicatio spirituum, alteri genera linguarum. Omnia autem haec operatur unus atque idem spiritus, dividens propria unicuique prout vult: utique sicut deus. Quis enim tota illa operari potest nisi deus? Idem autem deus qui operatur omnia in omnibus. Nam et sigillatim si interrogemur de spiritu sancto, verissime respondemus quod deus sit: et cum patre et filio simul unus deus est. Unum ergo principium ad creaturam dicitur deus: non duo vel tria principia. Ad se autem invicem in trinitate si gignentem ad id quod gignitur principium: pater ad filium principium est, quia genuit eum.

Quod in trinitate pater et filius et spiritus sanctus principium sit. Cap. xiiii.

Utrum autem et ad spiritum sanctum

principium sit patri. Quomodo autem donum est de patre procedit, non parva quaestio est. Nam si ita est, non iam principium est tantum rei erit quam gignit aut facit, sed etiam ei quam dat. Ubi et illud elucescit, utpote quod solet multos movere, cur non sit filius etiam spiritus sanctus: cum et ipse a patre exeat, sicut in evangelio legitur. Exit enim non quomodo natus, sed quomodo datus. Et ideo non dicitur filius, quia natus non est sicut unigenitus, nec factus ut per dei gratiam in adoptionem nasceretur sicut nos. Quod enim de patre natum est, ad patrem solum refertur cum dicitur filius: et ideo filius patris est non noster. Spiritus vero sanctus patris et filii est: nec non noster. Quia autem datum est, et ad eum qui dedit refertur, et ad eos quibus dedit. Itaque spiritus sanctus non tantum patris et filii qui dederunt: sed etiam noster dicitur qui accepimus. Sicut dicitur domini est salus, qui dat salutem: eadem etiam nostra salus est qui accepimus. Spiritus ergo et dei qui dedit, et noster est qui accepimus. Non ille spiritus noster quo sumus, quia ipse spiritus est hominis qui in ipso est. Sed alio modo iste noster, quo dicimus panem nostrum cotidianum da nobis hodie. Quamquam et illum spiritum qui hominis dicitur utique accepimus. Quid enim habes inquit quod non accepisti. Sed aliud est quod accepimus ut essemus: aliud quod accepimus ut sancti essemus. Unde et de Iohanne scriptum est quod in spiritu et virtute Helye veniret. Dictus est Helye spiritus, sed spiritus sanctus quem accepit Helyas. Hoc et de Moyse intelligendum est, cum ait ei dominus: Tollam de spiritu tuo et dabo eis. hoc est dabo illis de spiritu sancto quem iam tibi dedi.

Si ergo et quod datur principium habet eum a quo datur, quia non aliunde accepit illud quod ab ipso procedit: fatendum est patrem et filium principium esse spiritus sancti. Non duo principia, sed sicut pater et filius unus deus, et ad creaturam relative unus creator et unus dominus: sic relative ad spiritum sanctum unum principium est. Ad creaturam vero pater et filius et spiritus sanctus unum principium: sicut unus creator et unus dominus.

Quod in spiritum sanctum antequam daretur possit donum nomine intelligi.

Ulterius autem **Cap. xv.** quaeritur utrum quemadmodum filius non hoc tantum habet nascendo ut filius sit, sed omnino ut sit: sic et spiritus sanctus eo quo datur habeat non tantum ut donum sit, sed omnino ut sit. Utrum ergo erat antequam daretur, sed nondum erat donum: an eo ipso quo daturus eum erat deus, iam donum erat et antequam daretur. Sed si non procedit nisi cum datur, nec procederet utique priusquam esset cui daretur. Quomodo iam erat ipsa substantia, si non est nisi quia datur. Sicut filius non tantum ut sit filius quod relative dicitur, sed omnino ut sit ipsam substantiam nascendo habet. An semper procedit spiritus sanctus, et non ex tempore, sed ab eternitate procedit. Sed quia sic procedebat ut esset donabile, iam donum erat et antequam esset cui daretur. Aliter enim intelligitur cum dicitur donum: aliter cum dicitur donatum. Nam donum potest esse antequam detur: donatum autem nisi datum fuerit nullo modo dici potest.

De appellationibus relativis que non ad deum referenda sunt quam deo

Nec in tempore accidit **Cap. xvi.**

Nec moveat quia spiritus sanctus cum sit coe

ternus patri et filio. Dicitur tamen aliquid ex tempore velut hoc ipsum quod donatum dixi. Nam sempiterne spiritus donum; temporaliter autem donatum. Nam etsi dominus non dicitur nisi cum habere incipit servum: etiam ista appellatio relativa ex tempore est deo. Non enim sempiterna creatura est cuius ille est dominus. Quomodo ergo obtinebimus nec ipsa relativa esse accidentia: quoniam nihil accidit deo temporaliter quia non est mutabilis sicut in exordio huius disputationis tractavimus. Ecce dominum esse non sempiternum habet ne cogamur etiam creaturam sempiternam dicere: quia ille sempiterne non dominaretur nisi etiam ista sempiterne famularetur. Sicut autem non potest esse servus qui non habet dominum: sic nec dominus qui non habet servum. Et quisquis exstiterit qui eternum quidem deum solum dicat, tempora autem non esse eterna propter varietatem et mutabilitatem. Sed tamen tempora non in tempore esse cepisse. Non enim erat tempus antequam inciperent tempora: et ideo non in tempore accidit deo ut dominus esset quia ipsorum temporum dominus erat que utique non in tempore esse ceperunt. Quid respondebit de homine qui in tempore factus est cuius utique dominus non erat antequam esset cuius preesset. Certe vel ut dominus hominis esset ex tempore accidit deo. Et ut omnis auferri videatur controversia. Certe ut tuus dominus esset aut meus qui modo esse cepimus ex tempore accidit deo. Aut si et hoc propter obscuram questionem anime videtur incertum, quid ut esset dominus populi Israel. Nam etsi iam erat anime natura quam ille populus habebat quod modo non querimus: tamen ille populus nondum erat et quando esse cepit apparet. Postremo ut dominus esset huius arboris et huius segetis ex tempore accidit, que modo esse ceperunt. Quia etsi materies ipsa iam erat aliud est tamen dominum esse materie, aliud esse dominum iam nature. Alio enim tempore est homo dominus ligni, et alio tempore est dominus arce, quamvis ex ipso ligno fabricate: quod utique non erat cum ligni dominus iam esset. Quomodo igitur obtinebimus nihil secundum accidens dici deum, nisi quia ipsius nature nichil accidit quo mutetur, ut ea sint accidentia relativa que cum aliqua mutatione rerum de quibus dicuntur accidunt. Sicut amicus relative dicitur: neque enim esse incipit nisi cum amare ceperit. Fit ergo aliqua mutatio voluntatis ut amicus dicatur. Nummus autem cum dicitur pretium relative dicitur: nec tamen mutatus est cum esse cepit pretium. Neque cum dicitur pignus, et si qua similia. Si ergo nummus potest nulla sui mutatione totiens dici relative ut neque cum incipit dici, neque cum desinit, aliquid in eius natura vel forma qua nummus est mutationis fiat: quanto facilius de illa incommutabili dei substantia debemus accipere ut ita dicatur relative aliquid ad creaturam, ut quamvis temporaliter incipiat dici, non tamen ipsi substantie dei accidisse aliquid intelligatur, sed illi creature ad quam dicitur. Domine inquit refugium factus es nobis. Refugium ergo nostrum deus relative dicitur: ad nos enim refertur, et tunc refugium nostrum fit cum ad eum refugimus. Numquid tunc fit aliquid in eius natura quod antequam ad eum refugeremus non erat?

In nobis ergo fit aliqua mutatio. Deteriores ergo fuimus antequam ad eum refugeremus: et efficimur ad eum refugiendo meliores. In illo autem nulla. Sic et pater noster incipit esse cum per eius gratiam regeneramur: quoniam dedit nobis potestatem filios dei fieri. Substantia itaque nostra mutatur in melius cum filii eius efficimur. simul et ille pater esse incipit noster sed nulla sue commutatione substantie. Quod ergo temporaliter dici incipit deus quod antea non dicebatur manifestum est relative dici. non tamen secundum accidens dei quod ei aliquid acciderit. sed plane secundum accidens eius ad quod dici aliquid deus relative incipit. Et quod amicus dei iustus esse incipit: ipse mutatur. Deus autem absit ut temporaliter aliquem diligat quasi nova dilectione. que in ipso ante non erat. apud quem nec preterita transierunt. et futura iam facta sunt. Itaque omnes sanctos suos ante mundi constitutionem dilexit: sicut predestinavit. Sed cum convertuntur et inveniunt illum tunc incipere ab eo diligi dicuntur: ut eo modo dicatur quo potest humano affectu capi quod dicitur. Sic etiam iratus malis dicitur et placidus bonis: illi mutantur non ipse. Sicut lux infirmis oculis aspera. firmis lenis est: ipsorum scilicet mutatione. non sua. *Incipit liber sextus de eo quod apostolus ait christum dei virtutem et dei sapientiam. c. i*

Equalitatem patris et filii et spiritus sancti putant nonnulli ex hoc impediri quominus intelligatur. quod scriptum est. christum dei virtutem et dei sapientiam: ut ideo non videatur equalitas. quia non est pater ipse virtus et sapientia. sed genitor virtutis et sapientie. Et revera non mediocri intentione queri solet: quomodo dicatur deus virtutis et sapientie pater. Ait namque apostolus: dei virtutem et dei sapientiam. Et hinc nonnulli nostri adversus arrianos hoc modo ratiocinati sunt: eos duntaxat qui prius se adversus catholicam fidem extulerit. Nam ipse arrius dixisse fertur. Si filius est: natus est. Si natus est: erat tempus quando non erat filius. non intelligens etiam natum esse deo sempiternum esse. ut sit coeternus patri filius sicut splendor qui gignitur ab igne atque diffunditur coevus est illi. et esset coeternus si ignis esset eternus. Unde quidam posteriores arriani abiecerunt istam sententiam: fassique sunt non ex tempore cepisse filium dei. Sed inter disputationes quas habebant nostri adversus eos qui dicebant. erat tempus quando non erat filius: hanc etiam ratiocinationem nonnulli inserebant. Si dei filius virtus et sapientia dei est. nec umquam deus sine virtute et sine sapientia fuit. coeternus est deo patri filius. Que ratiocinatio ad id cogit. ut dicamus deum patrem non esse sapientem. nisi habendo sapientiam quam genuit: non existendo per se pater ipse sapientia. Deinde si ita est filius quoque ipse sicut dicitur deus de deo sic dicitur lumen de lumine. videndum est utrum possit sapientia de sapientia dici: si non est deus pater ipsa sapientia. sed tantum genitor sapientie. Quod si tenemus. cur non et magnitudinis sue et bonitatis et eternitatis